

hoc cernere in primis puerorum ætatulis. Quamquam enim vereor, ne nimius in hoc genere videar: tamen omnes veteres philosophi, maxime nostri, ad incunabula accedunt, quod in pueritia facillime se arbitrentur naturæ voluntatem posse cognoscere. Videmus igitur, ut conquiescere ne infantes quidem possint. Quum vero paullum processerint, lusionibus vel laboriosis delectantur, ut ne verberibus quidem deterreri possint. Eaque cupiditas agendi aliquid adolescit unà cum ætatibus. Itaque, ne si jucundissimis quidem nos somniis usuros putemus, Endymionis somnum nobis velimus dari: idque si accidat, mortis instar putemus. Quin etiam inertissimos homines, nescio qua singulari nequitia præditos, videmus tamen et corpore et animo moveri semper, et, quum re nulla impediuntur necessaria, aut alveolum poscere, aut quærere quempiam ludum, aut sermonem aliquem requirere: quumque non habeant ingenuas ex doctrina oblectationes, circulos aliquos et sessiunculas consecrari. Ne bestię quidem, quas delectationis causa concludimus, quum copiosius alantur, quam si essent liberæ, facile patiuntur sese contineri: motusque solutos et vagos, a natura sibi tributos, requirunt. Itaque, ut quisque optime natus institutusque est, esse omnino nolit in vita, si gerendis negotiis orbatus, possit paratissimis vesci voluptatibus. Nam aut privatim aliquid gerere malunt: aut, qui altiore animo sunt, capessunt rempublicam honoribus imperiisque adipiscendis: aut totos se ad studia doctrinæ conferunt. Qua in vita tantum abest, ut voluptates consecentur: etiam curas, sollicitudines, vigiliis perferunt; optimaque parte hominis, quæ in nobis divina ducenda est, ingenii et mentis acie fruuntur, nec voluptatem requirentes, nec fugientes laborem. Nec vero intermittunt aut admirationem earum rerum, quæ sunt ab antiquis repertæ, aut investigationem novarum: quo studio, quum satiari non possunt, omnium ceterarum rerum obliti, nihil abjectum, nihil humile cogitant. Tantaque est vis talibus in studiis, ut eos etiam, qui sibi